

buscumque nominibus nuncupentur, ordinavimus, creavimus et fecimus (1), ordinamus, facimus, creamus et constituimus, ac inventimus per praesentes (2), non obstante si aliquibus personis seu Co-munitati cuiuscumque status, gradus seu conditionis existant, concessae essent aliae literae, per quas sibi pretenderent (3) jus in terris et locis praescriptis, quoniam illis omnibus, in quantum huic nostrae concessioni contrariantur, ex justis causis nos moventibus et per (4) servitia et comoda quae nos et Sacrum Imperium ab ipso Dominio expetimus (5), praesentibus derogamus totaliter, et derogatum esse intelligimus, hujusmodi jus ad nos avocando, et in te, et praefatum Dominium totaliter transferendo (6). Volumus autem, quod tu et successores (7), nobis et successoribus nostris in signum recognitionis Dominii proprietatis et superioritatis in praedictis locis, annis singulis super festo Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi occasione et nomine census pro terris, locis et castris praedictis, unam petiam panni aurati valoris ducatorum mille, vel alias res (8) equivalentis pretii, ad nostrum, successorumque nostrorum libitum et voluntatem mittere teneatis (9); recepto vice et nomine tuis pro locis praedictis a nobili viro Marco Dandulo Oratore tuo ad hoc sufficiens mandatum habente, fidelitatis et obedientiae debito juramento in forma quae sequitur: — Ego Marcus Dandolo civis Venetiarum Orator et Procurator Illustris Principis Domini D. Francisci Foscari Ducis, et incliti Venetiarum Dominii (10), ad hoc pleno et sufficienti mandato fulcitus, prout ex literis desuper datis apparet, juro in animas constituentium praefatorum, quod ab

(1) Fecimus et creavimus.

(2) Per *praesentes* manca.

(3) Pretendent.

(4) Propter.

(5) Experimur.

(6) Transferentes.

(7) Successores tui.

(8) Aliam rem equivalentem.

(9) Tenearis.

(10) Dominii Venetiarum.